

absoluta trahit post se sententiam, vel condemnatoriam, si reus convictus aut crimen confessus fuit; vel absolutoriam, si reus indicia contra se prolata plenè diluit: plerùmque tamen in subsidium innocentiae indicitur et juramentum purgationis, quo infamia aboleatur (*l. 2. §. 6. 7. C. de jurej. propt. calum. cap. 1. et seq. de purgat. Can. 3.*) Stante inquisitione, hodie non admittitur rei inquisiti accusatio, præsertim apud diversum judicem; quia hodiernis moribus inquisitio est judicium ordinarium, licèt antiquis temporibus accusatio, tanquam remedium ordinarium prævaluerit inquisitioni, tanquam remedio extraordinario.

2.<sup>o</sup> Inquisitus, probato crimine, regulariter pœna ordinaria puniendus est: ità Abb., Gonz., Schmier. et alii, quorum sententia praxi tribunalium firmatur. *Prob. ex jure civ. l. 8. ff. de publ. judic.*, ubi Paulus docet durare pœnam legum, cùm extra ordinem crimina probantur; et *l. 2. C. de abolition.* ibi: *Adversus nocentem reum, inquisitione acta, pœna competens ingeratur*, qualis est jure ordinario statuta. *Prob. ex jure Can. c. fn. de celeb. missar.*, ubi pœna ordinaria privationis officii et beneficii infligitur sacerdoti inquisito, qui in pane fermentato, et scypho ligneo sine lumine et aqua celebravit: et *c. 2. de confess.*, ubi Canonico ob simoniacam alterius electionem inquisito imponitur pœna ordinaria privationis officii et beneficii. Neque simonia in hoc casu est crimen exceptum; benè verò si comittatur in ordinis et proprii beneficii assecutione; quia inquisitio hodie est judicium ordinarium; ergò reus inquisitus, probato crimine, ordinaria pœna est puniendus, licèt olim, dum inquisitio fuit judicium extraordinarium, permissi in fuerit judici arbitrari circa majorem vel minorem pœnam (*l. 12. §. 7. ff. de his, qui not. infam.*) In foro tamen Ecclesiastico, ex benignitate et indulgentia, quandoque pro personis aliàs honestis temperatur pœna, maximè si delictum non sit diffamatum, sed detectum solummodò per inquisitionem generalem: quo sensu explicatur *c. 21. h. t. c. 30. de simon.* In crimine tamen simoniæ et homicidii ordinaria pœna infligenda est (*cit. c. 21. h. t.*)

9. Q. IV. *An, si crimen incidens deducatur in judicium, super eo inquiri, et pœna ferri possit?*

R. 1.<sup>o</sup> Si reus adversario vel testi via exceptionis crimen objiciat *civiliter*, ut eum repellat ab agendo vel testificando, criminosus ità detectus non substat condemnationi et pœnæ ordinariæ, sed præcisè juxtà intentionem excipientis removetur à judicio, ut communiter accidit (*c. 1. de exceptionib.*)—2.<sup>o</sup> Si objecto crimine, excipiatur *criminaliter*, ut criminosus, non tantùm repellatur à judicio, sed etiam pœna delicto commensa puniatur, exceptio ista vim habet accusationis; et consequenter ità excipiens reus fit actor seu accusator, et probare tenetur delictum, uti fit in judicio criminali. Si tamen in probatione defecerit, non punitur pœna calumniatoris, quia parçitur accusato se defendenti, cùm provocatus sit (*arg. l. 38. §. 8. ff. ad L. Jul. de adult.*) Huc referuntur etiam illa crimina, quæ opponuntur electo aut promotò

ad prælaturam, ne possit confirmari vel ordinari, consecrari aut mitti in possessionem; quia talia delicta probanda sunt ab excipiente, tanquam accusatore.—3.<sup>o</sup> Si crimina incidenter per exceptionem, vel propriam confessionem rei detecto, judex rationabiliter motus super illo crimine instituat inquisitionem specialem, delictum legitimè probatum substat condemnationi et pœnæ ordinariæ. Nam licèt tale delictum primitus incidenter venerit in judicium, tamen deinde instituto novo processu, est causa principalis criminalis; ergò si legitimè probetur, principaliter ad pœnam ordinariam deduci debet.

10. Q. V. *Quomodo judex procedat in notorio vel flagranti crimine?*

R. 1.<sup>o</sup> In crimine notorio procedit absque ordine judiciario, dummodò notorietas delicti probetur per testes, quòd scilicet perpetratum sit in loco publico, præsentem et inspectantem populo: comm. ex *Can. 14. et seqq. 2. q. 1. c. 21. de jurej. c. 3. de testibus* ibi: *Si factum est notorium, non eget testium depositionibus, cùm talia probationem et ordinem judiciarium non requirant*: unde talis sine ullis ambagibus condemnari potest, sicut ab Apostolo condemnatus est Corinthius incestuosus, qui novercam suam in uxorem duxit (*1. Cor. 5.*) Si tamen reo competit aliqua defensio, vel dubium est de illa, citari debet ad se defendendum, ne inauditus condemnetur, uti et ad sententiam audiendam, nisi periculum in mora, scandalum in Republica et evidens notitia, quòd reo nulla competat defensio, suaderet omissionem talis citationis.

2.<sup>o</sup> Si crimen flagrans commissum est coràm judice pro tribunali sedente, vel aliàs jurisdictionem exercente, proceditur in eo sine ordine judiciario; nam aspectus judicis cum suo consilio facit evidentiam facti (*l. 2. ff. de feriis.*) Securius tamen erit, si judex statim interroget reum, an crimen coràm se factum fateatur? Si neget, illud per testes probatum reducat in acta; si fateatur, plerùmque non est opus sententia, saltèm solemnè, sed sufficet decretum de pœnæ executione; Clar.

3.<sup>o</sup> Si reus à ministris vel aliis deprehensus est in flagranti crimine et ad judicem deductus, tota relatio ab adducentibus facta, per notarium refertur in acta; tum reus examinatur, et si quidem crimen fateatur, decernitur ei competens pœna; si defendat se excipiendo, v. g. quòd occiderit justæ defensionis causa, datur ei terminus ad exceptionem probandam: si neget crimen, repetuntur testes super crimine et deprehensione in flagranti seu actuali perpetratione, quibus convictus condemnatur ad pœnam; plenè verò non convictus, trahitur ad torturam; quia deprehensio in flagranti, sine aliis adminiculis, est sufficiens ad torturam (Farin. Reiff. etc.)

### §. III.

De processu inquisitorio per viam denunciationis.

11. Q. I. *Quid et quotuplex sit denuntiatio?*

R. 1.<sup>o</sup> Denuntiatio est: legitima delatio criminis et criminosi apud

Superiorem, ut patrem vel judicem: *legitima* erit, si fiat secundum jura naturalia, divina et humana.—2.<sup>o</sup> Denunciatio in mediata divisione dividitur in Evangelicam et judicialem. *Evangelica* à Christo Domino tradita Matth. 18. v. 15.: *Si peccaverit in te frater tuus etc.*, est illa, per quam frater delinquens denunciatur Superiori ut patri, servato correctionis ordine, non ad vindictam publicam, sed ad propriam emendationem et correctionem. *Judicialis* est, delatio criminis apud Superiorem ut judicem. Hæc subdividitur in civilem et Canonicam: *civilis* seu *judicialis specifice* est, delatio criminis apud Superiorem ut judicem, vel ad vindictam publicam, vel ad privatum proprium interesse, et damni reparationem. Dicitur *civilis*, non quod coram judice Ecclesiastico proponi nequeat, cum frequentissime apud eum proponatur, sed quod originem suam ducat à jure civili: *Canonica* à Sac. Canonibus introducta est, delatio criminis apud Superiorem Ecclesiasticum, ut per eum crimen istud impediatur.—Et hæc, velest *generalis* omnibus permissa, sicut à quocumque denunciari possunt impedimenta matrimoniorum, electionum, ordinationum etc.; vel *specialis* certis personis, quarum interest, permissa, ut malus qui præest, corrigatur, vel non respiciens à regimine amoveatur (*Can. 40. et seqq. 2. q. 7.*)

12. Q. II. *Quæ delicta subsint denunciationi judiciali?*

R. 1.<sup>o</sup> Delicta notoria; nam juxta *Can. 19. si peccaverit 2. q. 1. corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus*, ne scandalum in communitate oriatur.—2.<sup>o</sup> Delicta occulta adversantia bono communi vel tertii (S. D. 2. 2. *quest. 33. a. 7.*); quia bonum commune et tertii innocentis præponderat bono privato famæ delinquentis, maxime si delicta sint atrociora, et in futurum pendeant: ut conjuratio, seditio, præditio patriæ, machinatio contra prælatos, susurratio, turbatio pacis communis etc. *nisi forte aliquis firmiter existimaret, quod statim per secretam admonitionem possit hujusmodi mala avertere* (S. D. *ibid.*) Econtra sub denunciationem judicialem non cadunt delicta mere personalia, quæ nulli nocent, nisi delinquenti: ut ebrietas, omissio horarum Canoniarum, fractio jejunii etc.; hæc enim prius corrigenda sunt per secretam admonitionem, tum per adhibitionem duorum vel trium testium; et tandem denuncianda Ecclesiæ seu Prælato ut judici, ut præscripsit Christus *loc. cit.* Similiter delicta occulta plenè emendata non sunt denuncianda. Ceterum ex communi doctrina, arbitrio prudentis Superioris relinquitur, ut denunciationem judicialem flectere possit in charitativam, si prævidet delictum paterna sacra correctione sufficienter emendari posse: et econtra subditum paternè denunciantem cogere, ut transeat ad denunciationem judicialem, si delictum efficaciter corrigi nequeat, nisi per inquisitionem criminalem.

13. Q. III. *Qua forma fieri debeat inquisitio per viam denunciationis?*

R. 1.<sup>o</sup> Si denunciatio tendit ad vindictam publicam, ferè eadem forma observatur, quæ in accusatione, cum denunciatio successerit

in locum accusationis. Unde fieri debet in scriptis, expresso denunciantis et denunciati nomine, et delicto cum suis circumstantiis: et quamvis denunciator per se non teneatur probare, more accusatoris, tenetur tamen judici nominare testes, suggerere probationes et alia indicia criminis. Ipse verò denunciator, licet in causis levioribus testificari posset, non tamen in causis gravioribus, præsertim capitalibus, cum testimonio ejus suspectum videatur et minus idoneum.

2.<sup>o</sup> Denunciatione legitime facta, judex tenetur instituere inquisitionem specialem contra denuntiatum. Et quidem primò, si denunciatio fundatur super infamia delicti et delinquentis, judex ante omnia recipit probationes super infamia, contra quas admittitur reo probatio bonæ famæ, ne ita malevolis detur occasio calumniandi innocentes (Gloss. in *c. 24. h. t.*)—Nec obstat, quod fama non probetur, dum judex ex mero officio inquirat; nam tunc fama supponitur esse nota et probata judici: secus verò, quando inquirat ad denunciationem et instantiam petentis inquisitionem, tum probata fama delicti, processus inquisitorius instituitur more solito; et si reus convictus est, condemnatur plerumque ad pœnam ordinariam: si verò plenè non est convictus, non statim absolvitur, sed regulariter tenetur præstare juramentum purgationis, ut supra dictum. Ceterum judex tenetur procedere ad inquisitionem specialem, sive denunciatio facta sit ab officialibus publicis ad hoc constitutis, sive ab aliquo privato: secus litem facit suam, et tenetur de syndicato seu de officio malè administrato; Gaill. Et hæc servantur in denunciatione publica seu instituta ad vindictam publicam, quæ necessariò non debet esse conjuncta cum infamia delicti vel monitione prævia delinquentis. At si denunciatio privata ad privatum interesse facienda sit, ei præmitti debet admonitio prævia ex lege charitatis, si damnum citra inquisitionem facillè inter privatos reparari possit.

14. Q. IV. *Quomodo instituenda sit denunciatio Canonica?*

R. 1.<sup>o</sup> Generalis institui potest sine monitione prævia, et à quocumque, ex fine, ut prælatus impediatur peccatum vel aliud incommodum: v. g. ne cum impedimento nuptiæ celebrentur, ne indignus eligatur, incapax ordinetur, ne lædens infra dimidium injustum lucrum detineat, ne clericus certum locum accedat, in quo scandalosè vivit etc. Effectus ergò hujus denuntiationis est, ut peccata et alia incommoda secutura præpediantur.

2.<sup>o</sup> Specialis denunciatio Canonica, præmissa secreta admonitione, instituenda est ab illis tantum, quorum interest habere bonum prælatum, administratorem vel subditum, ut is in officio suo delinquens corrigatur; vel si bis aut ter monitus non respuerit, tanquam incorrigibilis à regimine et officio suo amoveatur (*Can. 47. quapropter 2. q. 7.*) Est tamen notabile discrimen in admonitione prælati secularis et regularis; nam ut amoveatur prælatus sæcularis, requiritur ad inquisitionem specialem non tantum infamia clamorosa, sed tanta, quæ sine scandalo et periculo tolerari non possit, utque delicta plenè, servato